

genus Chemnitius. Nec hoc injuria, Magne Theologe. In
 D. namque Luthero sic conspirabant omnia, ut quæ in aliis divi-
 sa admirarentur, in hoc uno obstupescerent omnia. Hinc Phœ-
 nix omnis bonæ literaturæ in Germaniâ Dominus Philippus
 Doctori Pomerano Grammatici, Doctori Jonæ Oratoris, sibi
 Dialectici nomen tribuebat. Sed D. Martinum omnia in o-
 mnibus vocabat. Quod Philippi iudicium eò judicabis æqui-
 us si res gestas cum temporum conditione collatas, trutinaveris.
 Omne linguarum studium fere conciderat, sed B. Lutherus san-
 ctæ etiam lingvæ studium excoluit ac Prophetas divini verbi sen-
 sa nobis nostro idiomate vernaculo eleganter aperientes tradidit.
 Hinc etiam sacra Biblia, quæ Laicis negabantur majoribus à pue-
 ris assiduâ manu versari videmus. Scholasticorum spinosis quæ-
 stionibus intricabatur tota Theologia & solum cælo, superis in-
 feri in ea miscebantur. Sed noster Lutherus filo Ariadnæo
 Logicæ ductus, syrtis omnes evitabat, ac Philosophiæ suæ, suæ
 quoque Theologiæ ceu optimus reddebat Analyticus. In Ora-
 toriâ præsertim Germanicâ, qui nostro Thaumandro palmam
 faciat dubiam, audivimus neminem. Quapropter Megalan-
 der Lutherus afflictæ Ecclesiæ solatio, monachis terriulam en-
 to, ipsique Papæ fuit detrimento. Quæ virtus ipsis etiam ad-
 versariis veritatē expressit, hinc Beza Zvvinglianæ doctrinæ An-
 tesignanus, licet Zvvinglium suum à B. Luthero non semel re-
 pudiatum ac damnatum doleat, tantum Virum Romanæ poten-
 tiæ, Papali fraudulentia, rerumque ab Hercule gestarum multi-
 tudini præponere non dubitavit, ita canens:

*Roma orbem domuit, Romam sibi Papa subegit,
 Viribus illa suis, fraudibus iste suis.
 Quanto isto major Lutberus, major est illa,
 Illum illamque uno qui domuit calamo.
 Inunc Alcidem memorato Grecia mendax,
 Lutberi ad calamum ferrea Clava nubit.*

Verum